



Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Tertiam Partem Summæ Theologiæ. Cum Commentariis
Reuerendiss. D. Thomæ de Vio Caietani Cardinalis S. Sixti, Et Opvscvlis
Eivsdem In tres Tomos distinctis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

12. Vtrum hæc sit vera, Christus secundum, quòd homo est hypostasis,
vel persona.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72797](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72797)

Christus, secundum quod homo est Deus.

Super Questionis sextadecima Articuli duodecimi.

In corpore articuli cum dicitur...

In corpore articuli cum dicitur... ne respon seur tripli conclusioni...

Conclusio secunda iuxta secundum membrum...

Conclusio tertia iuxta tertium membrum...

Aliquantis a prima...

Ar. 10. huius quod.

Ar. 10. huius quod.

Ar. 10. huius quod.

Ar. 10. huius quod.

Ar. 10. huius quod.

Ar. 10. huius quod.

Ar. 10. huius quod.

Ar. 10. huius quod.

naturae divinae: in qua quidem natura consistit potestas dimittendi peccata per auctoritatem in humana autem natura consistit instrumentaliter, & per ministerium. Unde Chryso. super Matth. hoc exponens dicit: Signanter dixit, In terra dimittendi peccata, ut ostenderet, quod humanae naturae potestatem divinitatis univit indivisibili unione: quia etsi factus est homo, tamen Dei verbum permanit.

AD TERTIUM dicendum, quod cum dicitur, iste homo, pronomen demonstrativum, hoc nomen homo, trahit ad suppositum: & ideo magis est haec vera, Christus, secundum quod iste homo, est Deus, quam ista, Christus, secundum quod homo, est Deus.

ARTICULVS XII.

Utrum haec sit vera, Christus secundum quod homo, est hypostasis, vel persona.

AD DUODECIMVM sic proceditur. Videtur quod Christus secundum quod homo, sit persona. Illud enim quod convenit cuilibet homini, convenit Christo, secundum quod est homo: est enim alijs hominibus similis, secundum illud Phil. 2. In similitudinem hominum factus: sed omnis homo est persona, ergo Christus, secundum quod homo, est persona.

2 Praet. Christus secundum quod homo, est substantia rationalis naturae, non autem substantia universalis, ergo substantia individua: sed nihil aliud est persona, quam rationalis naturae individua substantia, ut Boetius dicit in lib. de duab. natu. ergo Christus, secundum quod homo, est persona.

3 Praet. Christus, secundum quod homo, est res humanae naturae, & suppositum & hypostasis eiusdem naturae: sed omnis hypostasis & suppositum & res humanae naturae, est persona, ergo Christus, secundum quod homo, est persona.

SED CONTRA, Christus secundum quod homo, non est persona aeterna. Si ergo Christus secundum quod homo, sit persona, sequeretur quod in Christo sint duae personae, una temporalis, & alia aeterna, quod est erroneum, ut supra dictum est.

RESPON. Dicendum, quod sicut supra dictum est, iste terminus homo, in reduplicatione positus, potest accipi, vel ratione suppositi, vel ratione naturae. Cum ergo dicitur, Christus, secundum quod homo, est persona, si accipitur ratione suppositi, manifestum est, quod Christus secundum quod homo, est persona: quia suppositum humanae naturae nihil aliud est, quam

A persona filij Dei. Si autem accipiat ratione naturae, sic potest intelligi dupliciter. Vno modo, ut intelligatur, quod naturae humanae competat esse in aliqua persona, & hoc etiam modo verum est: omne enim quod subsistit in humana natura, est persona. Alio modo potest intelligi, ut naturae humanae in Christo propria personalitas debeatur, causata ex principijs humanae naturae. Et sic Christus secundum quod homo, non est persona: quia humana natura non est per se seorsum subsistens a divina natura, quod requirit ratio personae.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod omni homini convenit esse personam, secundum quod omne subsistens in humana natura est persona: sed hoc est proprium homini Christo, quod persona subsistens in humana natura eius non sit causata ex principijs humanae naturae, sed sit aeterna: & ideo vno modo est persona, secundum quod homo, alio modo non, sicut dictum est.

AD SECUNDVM dicendum, quod substantia individua, quae ponitur in definitione personae, importat substantiam completam per se subsistentem separatim ab alijs: alioquin manus hominis posset dici persona, cum sit substantia quadam individua: quia tamen est substantia individua sicut in alio existens, non potest dici persona. Et eadem ratione, nec humana natura in Christo, quae tamen potest dici individuum vel singulare quoddam.

AD TERTIUM dicendum, quod sicut persona significat quid completum, & per se subsistens in natura rationali, ita hypostasis, suppositum, & res naturae in genere substantiae significant quiddam per se subsistens. Unde sicut humana natura non est per se persona seorsum a persona filij Dei, ita etiam non est per se hypostasis vel suppositum, vel res naturae: & ideo in sensu, in quo negatur ista, Christus secundum quod homo, est persona, oportet etiam negari omnes alias.

QVAESTIO XVII.

De pertinentibus ad unitatem in Christo quantum ad esse, in duos articulos divisa.



DEINDE considerandum est de his, quae pertinent ad unitatem in Christo in communi. Nam de his, quae pertinent ad unitatem, vel pluralitatem in speciali, suis locis determinandum est: sicut supra determinatum est, quod in Christo non est una tantum scientia, & infra determinabitur quod in Christo non est una tantum natiuitas.

Considerandum est ergo primo de unitate Christi quantum ad esse. Secundo, quantum ad velle. Tertio, quantum ad operari.

Circa primum quaeruntur duo.

1. Primo, Utrum Christus sit unus vel duo.

2. Secundo, Utrum in Christo sit tantum unum esse.

Super Questionis decimasextime Articuli primum.

In titulo siue oculos metis in neutrum genus, cum legis, an Christus sit unum, vel duo, ita quod ly duo, in neutro etiam genere sumitur, & merito, ut directe opponatur ad ly unum. Nec addendus est aliquis alius terminus, puta ens, an scilicet sit unum ens, vel duo entia, sed absolute, ut sonat, discutenda est questio, an Christus sit unum, vel duo. Sic enim promissus rectiusque ordo de consequentibus incarnationis mysterium, servatur, dum discussis his, quae ad veritatem esse, vel fieri spectant in precedenti questione, in hac veritas indaganda est eorum, quae spectant ad unitatem, inter quae constat prima

D. 1214.

In corp. art.

D. 728. & 729.

D. 1212.

Quaest. 9.

Quaest. 35.